AUTHOR:

STRUVE, LUDWIG

TITLE:

DE DICTIONE SOPHOCLIS

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1854]

Master Negative #
93-81172-22

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Struve, Ludwig, 1831-
De dictione Sophoclis. Dissertatio inauguralis quam...publice defendet auctor Ludovicus Struve... Berolini, typis Gustavi Schade, [1854]
35 p. 20 cm.

Thesis, Berlin, 1854.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-18-93 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

DE
DICTIONE SOPHOCLIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXXI. M. MARTII A. MDCCCLIV.
H. XII.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
LUDOVICUS STRUVE
HALBERSTADIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT.
J. WOLLENBERG, PHIL. DR.
G. PAUL, PHIL. DR.
O. HEINE, PHIL. DR.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PRAECEPTORI

PRAESTANTISSIMO DILECTISSIMO

CONRADO HENSE

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

DE DICTIONE SOPHOCLIS.

PARTICULA PRIOR.

Sophoclem tragicorum esse principem iudicia veterum omnia consentiunt. Inter Romanos autem cum Cicero saepissime eum eximia laude affert (Cf. de fin. V. 1, 3. de divin. I, 25. ep. ad Attic. II. 7.) eundemque ei cum Homero, Archilocho, Pindaro locum assignat (Cf. Orat. I, 4.); tum poetae, quotquot eius mentionem faciunt, laudibus illis suffragari videntur. (Cf. Virg. ecl. VIII, 10. Iuv. Sat. VI. 636.) Subtilius autem et planius iudicarunt existimatores Graeci. Ac primum quidem cum veterum de praestantia tragicorum iudicia optime ex comicorum scriptis perspiciantur, nihil sane disertius fingi potest, quam quod Aristophanes Aeschylum ipsum Sophocli tragicum imperium tradentem fecit (Cf. Ar. Ran. v. 790). Deinde Aristoteles, elegantissimus poetarum iudex, in libro de arte poetica cum ex aliorum tragoediis tum vero ex Sophoclis plurima affert exempla atque hunc ipsum caeteris imitandum proponit (Cf. Ars. poet. p. 169. 30; 180, 10. Bekk.). Huiusmodi vero testimonia multa exstant (Cf. Xenoph. Mem. I, 4. 3. epigr. A. Pal. VII, 21. 22. 37. Diog. III, 56.) quae omnia afferre longum est, quum praesertim Athenien-

sium iudicia inde potissimum appareant, quod in fabularum numero haud ita dispari Sophocli palmam tribuerunt vicies, Aeschylo tredecies, Euripidi quinquies, unde quanto magis caeteris Sophocles probatus fuerit manifestum est.

Quod ut assequeretur plurimum simul valuerunt et rerum opportunitas et summa ingenii habilitas. De temporibus vero atque ipsius persona et indole accuratius disserere nimis a consilio nostro abhorrere videtur. Jam omnibus notum est, Sophoclem medium tenere locum inter Aeschylum et Euripidem et utriusque virtutibus optime conciliatis artem tragicam ad summum perduxisse fastigium. Neque enim Aeschyli granditatem atque altitudinem, quae non raro modum excedit, neque Euripidis rationem, quae propius ad vulgarem vitae usum et consuetudinem accedit, consectatus Sophocles e vita humana pulcherrima quaeque delibavit eaque ita cum summis suae mentis cogitationibus coniunxit, ut quibus in fabulis uteretur personas integra humanitatis specie adumbraret. Hanc vero dilucidam personarum fictionem[1]) spectasse mihi videntur iudicia veterum, qui Sophoclem Homeri esse imitatorem censerent. Notum est illud Polemonis: Homerum Sophoclem epicum,

[1]) Hoc in genere primum notandum est, quod Sophocles in personis describendis contrarias personas iuxta ponere amavit. Ita Antigona et Ismena, Electra et Chrysothemis sibi invicem opponuntur ut altera alteram magis illustret. Deinde non praetermittendum, quod Auctor Vitae annotat, eum parvulo hemistichio vel una sententia totam adumbrare personam, (*οἶδε δὲ καιρὸν συμμετρῆσαι καὶ πράγματα ὥστε ἐκ μικροῦ ἡμιστιχίου, ἢ λέξεως μιᾶς ὅλον ἠθοποιεῖν πρόσωπον.*) velut notissimum illud Ant. 523:

οὔτοι συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυν.

Sophoclem Homerum tragicum esse. (Cf. Diog. Laërt. IV, 20. *ἔλεγεν οὖν Ὅμηρον μὲν Σοφοκλέα ἐπικὸν, Σοφοκλέα δὲ Ὅμηρον τραγικὸν.* v. Suidas s. *Πολέμων*). Simili modo saepissime ab Eustathio Homeri *ζηλωτὴς, φιλόμηρος, ὁμηρικώτατος* appellatur Sophocles. (Cf. Schulz. de vit. Soph. p. 176). Atque in eadem sententia est grammaticus ille, qui in vita Sophoclis sic perhibet: *ἠθοποιεῖ δὲ καὶ ποικίλλει καὶ τοῖς ἐπινοήμασι τεχνικῶς χρῆται, Ὁμηρικὴν ἐκματτόμενος χάριν· ὅθεν εἰπεῖν φασιν Ἰωνικόν τινα, μόνον Σοφοκλέα τυγχάνειν Ὁμήρου μαθητήν.*

Multi enim fuerunt, qui propter fabularum materiam poetam ita appellatum fuisse censerent, quibus nos quidem suffragari non possumus, quum Aeschylus et Euripides non minus argumenta sua ab Homero et poetis cyclicis desumpserint; non magis autem similitudine ea, quae inter ipsius atque Homeri sermonem intercedat, veterum illa iudicia niti videntur. Sunt enim quidem multae et voces et locutiones a Sophocle ad epicum usum conformatae velut: *ἔπος* dicitur res ipsa O. R. 1144 (Cf. Brunck. l. c.) *ἀνὴρ* pro *τὶς* El. 45 (Cf. Herm. l. c.) *πῆμα ἄτης* Ai. 362 (Cf. Eust. p. 1461, 68.) *γνῶτα κοὐκ ἄγνωτα* O. R. 58 (Cf. Schneidw. l. c.) aliaque multa (Cf. Benloew. de Soph. dict. propr. p. 59. sq.). Sed hac in re cum id non negligendum est universum Graecorum sermonem poeticum ab Homeri carminibus tamquam a fundamento proficisci, tum vero Aeschylus si non verborum compositione, vocibus tamen, locutionibus, universa denique dictione Homeri quam Sophocles similior videtur. Itaque illud ad personarum rerumque illustrandarum et describendarum rationem referre coacti sumus.

Ut igitur in universa arte tragica, quod accuratius explicare supersedeo, coniunctis duorum virtutibus ad summum evectus est Sophocles, sic idem eademque ratione in sermone assecutus videtur.

Primum igitur veterum de eius elocutione iudicia sententiam meam comprobantia affero. Atque potissimum huc spectat quod apud Dionem Chrysostomum extat: (Cf. Orat. LII. p. 272 Reisk.) *Ὁ δὲ Σοφοκλῆς μέσος ἔοικεν ἀμφοῖν εἶναι, οὔτε τὸ αὔθαδες καὶ ἁπλοῦν τὸ τοῦ Αἰσχύλου ἔχων, οὔτε τὸ ἀκριβὲς καὶ δριμὺ καὶ πολιτικὸν τὸ τοῦ Εὐριπίδου, σεμνὴν δέ τινα καὶ μεγαλοπρεπῆ ποίησιν τραγικώτατα καὶ εὐπρεπέστατα ἔχουσαν, ὥστε πλείστην εἶναι ἡδονὴν μετὰ ὕψους καὶ σεμνότητος ἐνδείκνυσθαι.* Quibuscum comparari licet, quod Dionysius Halicarnassensis tertiam ei attribuit dicendi formam, quae *κεκέρασται δέ πως ἐξ ἐκείνων μετρίως* (*αὐστηρᾶς καὶ γλαφυρᾶς ἁρμονίας* v. c. XXI.) *καὶ ἔστιν ἐκλογή τις τῶν ἐν ἑκατέρᾳ κρατίστων.* (Cf. De Comp. Verb. c. XXIV.) eademque de re Auct. Vit. sic: *μόνος δὲ,* inquit, *Σοφοκλῆς ἀφ᾽ ἑκάστου τὸ λαμπρὸν ἀπανθίζει καθὸ καὶ μέλιττα ἐλέγετο· ἤνεγκε δὲ τὰ μικτὰ, εὐκαιρίαν, γλυκύτητα, τόλμαν, ποικιλίαν;* quod quidem apiculae cognomen propter dulcedinem ei a comicis praecipue poetis impositum esse, alia quoque tradunt testimonia. (Cf. Schol. ad O. C. 480. Ai. 1188. Ar. Vesp. 460; praeterea Ael. Arist. I. p. 596. II. p. 220. Philost. Imagg. XIII.). Atque ita forsitan de Sophoclis aemulo quodam scripsit Aristophanes comicus

> *Ὁ δ᾽ αὖ Σοφοκλέους τοῦ μέλιτι κεχρισμένου*
> *Ὥσπερ καδίσκου περιέλειχε τὸ στόμα.*

(Cf. Frag. inc. 231. Dind. de Ar. frag. p. 117). Non

possum denique quin hoc loco commemorem Hermesianactis illos versus:

> *Ἀτθὶς δ᾽ οἷα μέλισσα πολυπρήωνα κολωνὴν*
> *λείπουσ᾽ ἐν τραγικαῖς ἦδε χοροστασίαις.*

(Cf. Hermes. 57 not. Meinek. H. Cr. Com. p. 157). Quod quum antiquitus traditum esset, postea fere in proverbii consuetudinem abiit Aeschylum *τὸν μεγαλοφωνότατον*, Sophoclem *τὸν γλυκὺν*, Euripidem *τὸν πάνσοφον* nominare. (Cf. Phot. bibl. p. 101. b. 14. Bekk.).

Neque vero praetermiserunt veteres critici, qualis fuerit poetae dulcedo, subtilius explicare. Dionysius Halicarnassensis enim bene illustrat orationis suavissimam elegantiam, quae in sermone accurato et distincto posita et cum acerbitate quadam coniuncta sit. (Cf. Vett. scriptt. cens. II. 11. *Σοφοκλῆς μὲν οὐ περιττὸς ἐν τοῖς λόγοις ἀλλ᾽ ἀναγκαῖος.* v. de Comp. Verb. l. l. v. Diog. IV. 20). Inde igitur praestantissimum illud orationis genus quod Plutarchus *λογιότητα* vocat, exortum est. (Cf. de glor. Ath. p. 308. d).

In tanta igitur testimoniorum multitudine mira sane videntur quae contraria traduntur. Longinus enim haec iudicat: *Ὁ δὲ Πίνδαρος καὶ ὁ Σοφοκλῆς ὅτε μὲν οἷον πάντα ἐπιφλέγουσι τῇ φορᾷ, σβέννυνται δ᾽ ἀλόγως πολλάκις καὶ πίπτουσιν ἀτυχέστατα* (Cf. De Sublim. c. 33.) eademque ratione Dionysius Halicarnassensis: *καὶ ὁ μὲν ποιητικός ἐστιν ἐν τοῖς ὀνόμασι, καὶ πολλάκις ἐκ πολλοῦ τοῦ μεγέθους εἰς διάκενον κόμπον ἐκπίπτων, οἷον εἰς ἰδιωτικὴν παντάπασι ταπεινότητα κατέρχεται* (Cf. Vett. scriptt. cens. l. l.). Haec fere est *Σοφοκλέους ἀνωμαλία* de qua dixit Plutarchus (Cf. De audit. p. 45. b.).

Talia vero iudicia ex ipsorum grammaticorum doctrina explicationem quandam adipiscuntur. Hi enim cum ut tragici eodem semper progrederentur cothurno postularent, quae propius ad sermonis familiaris consuetudinem accederent tragico dicendi genere indigna censebant [1]. Sophoclem igitur, qui quum ubique rerum et verborum aptissimum consensum concentumque spectaret neque ullam rem magis quam accommodatum esset, exornaret, saepissime in tragoediis suis orationem variare consuevit, eam ob rem vituperabant, quam nos in summa eius laude ponimus. Sunt igitur loci, qui quamvis a nimia grandiloquentia vel tumore alieni, elegantia, copia, impetu, omnibus denique oratoriis virtutibus excellant. (Cf. O. C. 960 — 1013. Ai. 1266 — 1315. Ant. 162 — 210). Aliis vero locis de plebe homines familiari ratione, ut moribus eorum fere convenit, colloquentes fecit poeta, velut exemplum extat in Ant. 223 *ἄναξ, ἐρῶ μὲν οὐχ ὅπως τάχους ὕπο.* Custos enim Creonti rem adversam nuntiare cunctatus quantum ipse commotus fuerit copiose explicat, ibique, quod ad morem ejus aptissimum videtur, ipsius animum secum colloquentem inducit: *τάλας, τί χωρεῖς, οἷ μολὼν δώσεις δίκην;* neque minus qui sequitur verborum ambitus (Cf. vs. 234, 238, 251, 258, 269 — 272) secundum dissolutam plebeii sermonis abundantiam conformatus est. Atque huiusmodi multa alia

[1]) Ab Aeschyli tumore atque grandiloquentia se recessisse ipse confitetur apud Plutarchum Sophocles: *ὥσπερ γὰρ ὁ Σοφοκλῆς ἔλεγε, τὸν Αἰσχύλου διαπεπαιχὼς ὄγκον, εἶτα τὸ πικρὸν καὶ κατάτεχνον τῆς αὐτοῦ κατασκευῆς, τρίτον ἤδη τὸ τῆς λέξεως μεταβάλλειν εἶδος, ὅπερ ἐστὶν ἠθικώτατον καὶ βέλτιστον.* (Cf. De prof. virt. p. 79. b. Bernhardy. hist. litt. gr. p. 795).

extant exempla (Cf. O. C. 1579. Ai. 719. 748. Phil. 591. 603.) quae quum omnia de industria ita composita videantur, absurditatis criminationem, quam Hermannus iis infert, (Cf. ad Ai. 719.) ineptam iudico.

His vero exemplis praeclare opposita sunt ea, quibus animi motum atque perturbationem sermone exprimere voluit poeta. Hac igitur de causa Creon animo perculsus atque perturbatus accuratam dicendi rationem negligit Ant. 204 *τοῦτον (λέγω) τάφῳ μήτε κτερίζειν μήτε κωκῦσαί τινα,* exspectaveris enim *τὸ μὴ τάφῳ κτερίζειν μηδὲ κωκ.* (v. Ant. 27.); cuiusmodi exempla haud ita rara occurrunt (Cf. El. 913. 995 sq. Ant. 762 O. R. 1271 Schneidw.). Omnium vero maxime huc quadrat Antigonae initium, quo miram illam structuram: *ἆρ᾽ οἶσθ᾽ ὅτι — ὁποῖον οὐχὶ* i. e. *ὁποιονοῦν* ex irritata Antigonae mente subtili iudicio A. Boeckhius, vir summus, ita mihi explanasse videtur ut rem iam omnino confectam censeam (Cf. ad Antig. p. 206. sq.). Confer simillimum locum O. R. 1401.

Alia vero accedit res, quae ad Sophoclis elocutionem excolendam non minus valuit. O. Muellerus enim summo iure animadvertisse videtur, Graecos Sophoclea aetate in eo iam fuisse ingenii animique cultu ut quamcunque rem vel intuerentur vel audirent mente atque cogitatione percipere studerent eamque dialectico quodam acumine quasi dissecarent et dissolverent (Cf. Thucyd. III. c. 38). Maxime igitur eam dicendi rationem adamabant quae res magis significando quam explicando exprimeret, ut auditorum mentibus interiorem sententiam magis coniectura assequi quam aperte statimque pernoscere liceret (Cf. O. Mueller. hist. gr. litt. II. p. 140). Inde igitur duo quae propria

sunt Sophocleo sermoni originem repetunt, sermonis quaedam ambiguitas[1]) et syntaxeos anomalia.

Ita saepissime personae aut consulto aut invito animo ita loquuntur ut duplicem eorum verba intellectum admittant. Hoc loco quis non statim in memoriam revocaverit illud Aiacis 676 — 692.

῞Απανθ᾽ ὁ μακρὸς κ᾽ αναρίθμητος χρόνος ....

quae universa oratio praeclaram Sophoclis eloquentiam optime demonstrat. Aiax enim ut mortem sibi inferat discessurus ambiguis verbis, ut ipse non mentiatur, consilium celare chorum studet. Itaque sic loquitur v. 654: *ἀλλ᾽ εἶμι πρός τε λουτρὰ καὶ παρακτίους,...* quae verba re vera de obitu dicta chorus ad sinceram Aiacis cum Minerva reconciliationem pertinere putat. Neque aliter accipienda sunt *κρύψω τόδ᾽ ἔγχος τοὐμὸν* atque iure, quum sua sponte e vita decederet, dicere potuit v. 666: *τοιγὰρ τὸ λοιπὸν εἰσόμεσθα μὲν θεοῖς εἴκειν, ...* luce clarius vero ambiguitas ex verbis extremis apparet:

ἐγὼ γὰρ εἶμ᾽ ἐκεῖσ᾽, ὅποι πορευτέον·
ὑμεῖς δ᾽ ἃ φράζω δρᾶτε .... — σεσωσμένον.

Simillima extant El. 1324. 1448. 1451. 1464. Phil. 774. 812. O. R. 137. 414. (v. Herm. et Schneid. ll. cc.). Praeterea vero quae aut religio aut verecundia aperte pronunciare vetat cum quadam obscuritate exprimuntur, quo imprimis pertinet tota illa narratio de interitu Oedipi

[1]) Ambigua hac ratione quum non raro personae invito loquantur, *ἐν περιπετείᾳ τραγῳδίας* recte interpretes eam cum tragica, quam vocant, ironia a Sophocle valde adamata coniunxerunt (Cf. Thirlwall on the irony of Soph. in Mus. Britt. II, 6. v. Philol. Schneidw. VI).

(Cf. O. C. 1586 seq.) atque alia velut El. 569: *ἔπος τι* O. C. 945.: *οὐδ᾽ ὅτῳ γάμοι ξυνόντες εὑρέθησαν ἀνόσιοι τέκνων* v. O. C. 982. Aliis autem locis alia est obscuritatis causa atque defensio velut in Teiresiae vaticinio O. R. 424, v. Ant. 751. Ant. 635.

Altera autem, quam supra dixi Sophoclei sermonis proprietas est syntaxeos anomalia. Sophocles enim quum Attici sermonis usum propagaret atque tragicae arti accommodaret, multa quae ceteris poetis indicta essent, usurpavit atque insolentiora quaedam captavit. Cui generi annumero velut *δεσμοῖς ἀπευθύνειν* Ai. 71 i. e. *manus adstringere vinculis*, *λόγους ἀνασπᾶν* Ai. 302. i. e. *cum iactatione proferre*, *ἄμυγμα χαίτης* Ai. 634 ch. *capilli scissio*, (Cf. Lobeck. ll. cc.) *λύειν βλέφαρα morte solvere oculos* Ant. 1302 (Cf. Boeckh. ad Ant. p. 297). Atque fere audaciora sunt, velut quod Orestes occisa matre domum dicitur ingredi *νεακόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων* El. 1394 ch. atque *στόνον ἀντίτυπον βαρυβρῶτ᾽ — αἱματηρόν* Phil. 695 ch. *φοίνια δολόμυθα κέντρα* Trach. 840 ch. (Cf. G. Wolff. de Soph. Schol. Laurent. p. 71; 123.) *τᾶς πειθοῦς παγχρίστῳ συγκραθεὶς* Trach. 661 ch. (Cf. Ellendt. Lex. Soph. s. *πάγχριστος*). Propter hanc igitur dicendi singularitatem Sophocles si quis alius novator in verbis et structuris appellatus est (Cf. Valck. Diatr. p. 96. Brunck. ad O. R. 1512). Hac tamen in re minime negligere licet quod magna cum moderatione atque sapientia Sophocles nova verba ex analogia tantum finxit atque rarius nova composuit quam usitata singulari, non nimis tamen ab reliquo usu abhorrenti ratione usurpavit (Cf. Bernhardy. hist. gr. litt. p. 718). Inde evenit igitur ut

aliquam saltem similitudinem Thucydideae dictionis Sophoclis sermo exhibeat.

Sed hac de causa vel in reprehensionem quandam Sophoclis oratio incurrit quibus »interdum in molestam quandam implicationem vertere et iam in illam partem inclinare videbatur quae proprior esset vitio« (Cf. Herm. Praef. ad Trach. p. XIII. 2 ed.). Quum vero tam multa apud Sophoclem perobscure et insolenter posita explanationem adhuc desiderent, editores novissimi quidam poetam sanare quam illustrare maluerunt atque plurima coniecturis tentaverunt, quae solum interpretationem ex ipsius poetae usu desiderabant. Huc spectat potissimum dicendi ratio partim copiosa partim parca, inusitata sed elegantissima sententiarum iunctura, verborum denique apta et artificiosa collocatio.

Sed haec priusquam accuratius tractamus, qua ratione in grammatica vel potius syntactica verborum structura ab aliis scriptoribus recedat Sophocles explicaturi sumus.

Ac primum tragici liberrime in omittendo articulo versati innumeris locis eo carent ubi de re certa et definita agitur (Cf. Ellendt. II. p. 227). Quin etiam quibus vocabulis, velut *ἀνὴρ, ἄνθρωπος, γυνὴ, τέκνον* prosa oratio necessario articulum adderet, in iis tragici eum, imprimis si versui non esset aptus, omittunt. Ex Sophocle vero eiusmodi exempla afferre longum est quum praesertim omnia optime collegerit et digesserit Ellendtius l. l. Deinde articuli formas apud Sophoclem etiam secundum Homerum pronominis relativi vices suscipere notissimum est (Cf. Ellendt. II. p. 202).

Tum vero de pronominum usu commemoro, quod So-

phocles saepius pronomina possessiva passiva notione usurpavit, velut *τοὐμοῦ πόθου* O. C. 419. *τῷ 'μῷ πόθῳ* O. R. 969. *τἀμὰ νουθετήματα* El. 348. *τῆς ἐμῆς ὑπουργίας* O. C. 1413. *σῇ προμηθίᾳ* O. C. 332. *τὸ σὸν ἄχος* 1711 an. *τὸν σὸν φόβον* Phil. 1251. (Cf. Herm. ad Viger. p. 732. Matth. Gr. Gr. 466. 2. Lobeck. monogr. fig. gramm. p. 13). Dein tria extant exempla quippe: O. R. 1525. 1054. Ai. 1299 in quibus *ὅστις* pro *ὅς* dictum esse doctissime exposuit Ellendtius II. p. 387. 5. Postremo memorabilis est locus O. C. 1425 *ὅς — σφῷν θάνατον ἐξ ἀμφοῖν θροεῖ,* ubi manifesto *ἀμφοῖν* usurpatum est pro *ἀλλήλοιν.*

Iam vero de adiectorum usu singula quaedam observanda sunt, velut si *μόνος* cum genitivo dicitur pro *μονωθεὶς* Ai. 511. *σοῦ διοίσεται μόνος* et cum praepositione *ἀπὸ* Phil. 183 ch. *κεῖται μοῦνος ἀπ' ἄλλων,* similiterque H. hym. Merc. 193. *ὁ δὲ ταῦρος ἐβόσκετο μοῦνος ἀπ' ἄλλων* (Cf. Abresch. Diluc. Thucyd. p. 541). Hinc et *κενῆς λεαίνης* Ai. 986 insolenter usurpatum est ut significet *leaenam coniuge peremto relictam* (Cf. Lobeck. et Herm. l. c.). Sequuntur adiectiva, quae audacius active dicta sunt, velut *ὁμόσπορος* O. R. 460 *καὶ τοῦ πατρὸς ὁμόσπορός τε καὶ φονεὺς,* itemque *ὁμογενὴς* O. R. 1361 m. *ὁμογενὴς δ' ἀφ' ὧν αὐτὸς ἔφυν τάλας,* denique *ἄψαυστος* O. R. 969. *ἐγὼ δ' ὅδ' ἐνθάδε ἄψαυστος ἔγχους* (Cf. Ellendt. s. *ἄψαυστος*) v. Ap. Rh. II, 113. *νηδυίων ἄψαυστος.* Alia vero passive dicta non minus inusitatam habent significationem, velut *σωτήριος* O. C. 487 *ἐξ εὐμενῶν στέρνων δέχεσθαι τὸν ἱκέτην σωτήριον,* quocum conferri non possunt haec Aesch. Ag. 646. (Dind.) *σωτηρίων δὲ πραγμάτων εὐάγγελον ἥκοντα,* et Choeph. 236. *δα-*

κρυτὸς ἐλπὶς σπέρματος σωτηρίου, quibus activam inesse significationem docet Ellendtius s. v. Ita audacissime dicitur passive *περιπετής* Ai. 907. *ἐν γάρ οἱ χθονὶ πηκτὸν τόδ' ἔγχος περιπετὲς κατηγορεῖ* (Cf. Ellendt. s. v.). Similia confert Lobeckius l. c. velut Aesch. Ag. 233 *πέπλοισι περιπετῆ*. Deinde *ἀμέριμνος* passive usurpatum esse Ai. 1208 ch. *κεῖμαι δ' ἀμέριμνος οὕτως*, ex epigr. Posidippi *ἔχεις γάμον; οὐκ ἀμέριμνος ἔσσεαι* docet Lobeckius ad Ai. l. c. Denique adiectivum verbale *ἀρκτέον* passivo sensu dictum esse, rectissime iudicavit Schaeferus ad O. R. 628.

Κρ. Εἰ δὲ ξυνίης μηδὲν; Οἰδ. Ἀρκτέον γ' ὅμως.

Κρ. Οὔτοι κακῶς γ' ἄρχοντος. Οἰδ. ὦ πόλις, πόλις.

Verbum *ἄρχεσθαι* enim interdum simpliciter est i. q. *parere*, velut Aesch. Pers. 588 *οὐδ' ἐς γᾶν προπίτνοντες ἄρξονται* ita ut *ἀρκτέον γ' ὅμως* significet: *tamen obediendum est;* qualem sententiam sequentia verba utique postulant. Tum Ellendtius s. *ἀρκτέος* ex Dinarchi or. c. Dem. p. 176. 108. Bekk. simillimum attulit exemplum *ὃν καταπληκτέον ἐστίν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι*, unde apparet Hermanni coniecturam *ἀρκτέος γ' ὅμως* supervacuam esse. His adiungam rarum illud, quod apud Sophoclem nonnunquam *ἄκων* et *ἑκὼν* de rebus dicta reperiuntur. Sic legitur *ἄκων* bis: O. C. 240 et 977; eademque ratione semel *ἑκὼν* O. R. 1230.

Jam ea persequamur quae de praepositionum apud Sophoclem usu notanda sunt.

Huc primum pertinet praepositio *ἀντὶ* quae audacius velut *πρὸς* in obtestatione dicitur O. C. 1326. *οἵ σ' ἀντὶ παίδων — καὶ ψυχῆς — ἱκετεύομεν* i. e. *per hasce filias;* qua in formula *ἀντιδόσεως* cuiusdam significationem inesse

rectissime monet Ellendtius s. *ἀντὶ*. Deinde praepositionem *ἐκ* Sophocles antiquiorem Homeri et Herodoti usum secutus saepissime ita usurpavit ut vel *ὑπὸ* et *πρὸς* vel *παρὰ* substitui possit. Plurima vel omnia exempla collegit Ellendtius I. p. 551. 8. Hunc vero usum Atticorum pedestres scriptores paucis exceptis diligentissime vitarunt. (Cf. Bernhardy. Synt. p. 228). Unum praeterea extat exemplum ubi praepositio *ἐκ* adverbiascens pro *ἐκτὸς* vel *ἔξω* dicta videtur: Trach. 1078. *ἐκ καλυμμάτων* v. Il. XIV, 130 *ἐκ βελέων*. Od. XIX, 7 *ἐκ καπνοῦ* (Cf. Bernhardy. Synt. p. 226 ann. 10). Porro ad eam, quam putant, praepositionum permutationem transimus, qua *εἰς* pro *ἐν* positum videtur, cuius unum potissimum prostat apud Sophoclem exemplum audacissime dictum Ai. 80 *ἐμοὶ μὲν ἀρκεῖ τοῦτον εἰς δόμους μένειν*, ubi Hermannus, Bernhardyus Synt. p. 215. Apitzius ad Trach. 192. optimorum codicum lectionem ut exquisitiorem (Schol. *ἐς δόμους· ποιητικῶς εἴρηται α. τ. ἐν δόμοις*) iure probarunt et rectissime interpretati sunt. Aptissimum Lobeckius, qui quidem ex reliquis codd. *ἐν δόμοις* recepit, in comparationem adhibuit exemplum: Eur. Iph. T. 620. *ἀλλ' εἰς ἀνάγκην κείμεθ', ἣν φυλακτέον.* (Cf. Ellendt. I. p. 537. 8.) Tum vero in praepositionis *ἐπὶ* usu notandus est difficilior locus Ant. 790 ch. *ἁμερίων ἐπ' ἀνθρώπων*, legitima enim, quae inest in hac voce cum genitivo coniuncta loci significatio, velut *ἐπὶ γῆς*, hic a Sophocle translata est ad notionem praepositionis *ἐν*. (Cf. Ellendt. I. p. 646. Bernhardy. Synt. p. 247). Adverbialiter autem semel dicitur *ἐπὶ* ubi *insuper* significat O. R. 182 ch. *ἐν δ' ἄλοχοι πολιαί τ' ἐπὶ ματέρες*. Duo praeterea affero exempla, in

quibus contra notissimum Atticistarum praeceptum ὡς pro πρὸς dictum est: O. R. 1481. ἔλθετε ὡς τὰς ἀδελφὰς τάσδε τὰς ἐμὰς χέρας, Trach. 366. ἥκει δόμους ὡς τούσδε πέμπων οὐκ ἀφροντίστως — οὐδ᾽ ὥστε δούλην. (Cf. Ellendt. II. p. 996).

Jam vero pauca de particularum et coniunctionum apud Sophoclem usu moniturus sum.

Atque inter particulas imprimis memorabilis est vocula δὲ in apodosi posita. Huius autem usus tria aptissime distinxit et explicuit genera Ellendtius I. p. 391. 6. Sequitur enim particula δὲ in apodosi sententia praecedente sive conditionali, velut Ant. 234. κ᾽ει τὸ μηδὲν ἐξερῶ, φράσω δ᾽ ὅμως, sive relativa, velut Trach. 23. ἀλλ᾽ ὅστις ἦν θακῶν — ὅ δ᾽ ἂν λέγοι, (Cf. Herm. ad Phil. 86.) sive denique circumstantiali, velut O. R. 1266. ἐπεὶ δὲ γῇ —, δεινὰ δ᾽ ἦν τ᾽ανθένδ᾽ ὁρᾶν. Neque minus δὲ in comparationis secundo membro adiicitur, velut El. 25. ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενὴς — ὡσαύτως δὲ σύ. Simillima sunt Trach. 116 ch. Ant. 426. (Cf. Buttmann. Exc. ad Demosth. Midian.) Audacius autem in interrogatione obliqua semel dictum extat ἦ — ἦ O. C. 80. οἵδε γὰρ κρινοῦσί γε ἢ χρή σε μίμνειν, ἢ πορεύεσθαι πάλιν. Hermannus quidem de huius structurae veritate vehementer dubitat; (Cf. ad Eur. Med. 480. Opusc. III. p. 198.) sed recte h. l. servavit librorum scripturam Elmsleius, quum praesertim Aeschylus epicorum maxime usum secutus (Cf. Il. I, 190. IV. 14. Od. XV. 300. III. 214.) hoc dicere sibi concesserit Prom. 780 ἑλοῦ γὰρ, ἢ πόνων τὰ λοιπά σοι φράσω σαφηνῶς, ἢ τὸν ἐκλύσοντ᾽ ἐμέ. Dubium autem est, num Phil. 1092 ch. εἴθ᾽ αἰθέρος ἄνω πτωκάδες —

ἕλωσί μ᾽, εἴθε recte cum coniunctivo coniunctum sit, probabilis enim illo loco Hermanni coniectura ἴθ᾽ videtur. (Cf. Matth. Gr. Gr. § 517. 6.) Praeterea observandum est notabilius illud quod semel μήτε cum indicativo futuri positum videtur Ai. 572. τἀμὰ τεύχη μήτ᾽ ἀγωνάρχαι τινὲς θήσουσ᾽ Ἀχαιοῖς (Cf. Ellendt. s. μήτε. Schneidw. l. c.). Postremo autem hic afferam duo illa exempla: Ai. 556. δεῖ σ᾽ ὅπως — δείξεις, Phil. 55. τὴν Φιλοκτήτου σε δεῖ ψυχὴν ὅπως λόγοισιν ἐκκλέψεις λέγων, in quibus loquendi forma δεῖ σε ὅπως non tam ex duabus locutionibus confusa (Cf. Herm. ad Ai. l. c.) quam inde, quod quae inest finalis sententia in verbo impersonali δεῖ σε, ea, particula ὅπως posita gravius exprimitur, paulo insolentius orta videtur.

His iam absolutis reliquum est ut de verbi usu et anomalia accuratius exponam. Huius autem quaestionis principium inde repetam, quod in sermone graeco plurima sunt verba ambiguae potestatis quae significationem transitivam vel intransitivam cum factitiva coniunctam proferunt; qua in re difficillimum est diiudicatu utra sit in quoque verbo notio principalis transitiva an contraria. (Cf. Lobeck. ad Ai. 40 et 869.) Atque ita verbis in ευω, υνω, αινω exeuntibus commune est ut et transitiva et intransitiva significatione usurpentur. Sic apud Sophoclem ὀργαίνω transitive dicitur O. R. 335. καὶ γὰρ ἂν πέτρου φύσιν σύγ᾽ ὀργάνειας, intransitive autem Trach. 552. ἀλλ᾽ ὂν γὰρ, — ὀργαίνειν καλόν, quod eadem significatione praeter hunc locum semel tantum legitur Eur. Alc. 1106. σοῦ γε μὴ μέλλοντος ὀργαίνειν ἐμοί. Eodemque modo θαρσύνειν intransitive semel legitur apud So-

phoclem El. 916. *ἀλλ᾿ ὦ φίλη θάρσυνε*, similiterque *τυμβεύειν* Ant. 888. *εἴτ᾿ ἐν τοιαύτῃ — τυμβεύειν στέγῃ*. Tum vero alia extant apud Sophoclem insolentius intransitive dicta, velut singulari prorsus ratione *εὐνάζειν* Trach. 1005 m. *ἐᾶτέ μ᾿, — εὐνάσαι*, et notabilius *συμμανθάνειν* Ai. 869 ch. *κ᾿ οὐδεὶς ἐπίσταταί με συμμαθεῖν τόπος*, ubi Lobeckius scholiastae explicationi (*τὸ συμμαθεῖν ἀντὶ τοῦ διδάξαι*) gravissimis argumentis suffragatus est. Deinde selectiore usu intransitive haec dicta sunt: Phil. 718 ch. *λεύσσων δ᾿ ὅπου γνοίη στατὸν εἰς ὕδωρ ἀεὶ προσενώμα*, ubi non dubito quin recte scholiastes *ἑαυτὸν ἐκίνει, ἤγουν ἐπορεύετο* explicaverit, nam Hermanni interpretationem verbum *προσενώμα* ita dictum esse ut ad aquam respiciat quam Philoctetes propter raritatem parce cibo addiderit, nimis quaesita atque artificiosa videtur. Similiterque usurpatum est *ἐπινωμᾶν* Phil. 168 an. *οὐδέ τιν᾿ αὐτῷ παιῶνα κακῶν ἐπινωμᾶν*, quo loco eorum sententiam secutus qui cum Brunckio et Schaefero *αὑτῷ* scribendum esse censeant, nam codices in spiritu haud magni momenti sunt, *ἐπινωμᾶν* intransitiva *accedendi* significatione accipere velim ut sensus sit „neque unquam ei accedere medicum malorum." Nam quod olim Hermannus l. c. verbum *ἐπινωμᾶν* »circumspicere vel animo versare« significare censebat, id quomodo confirmare voluerit, non video, quum Euripidis locum quem in comparationem vocat Phoen. 1564 *εἰ — τάδε σώματα — ὄμματος αὐγαῖς σαῖς ἐπενώμας*, minime ei adiumento esse recte exposuerit C. Matthiaeus Quaest. Soph. p. 110. Hoc enim loco *σώματα αὐγαῖς ὄμματος ἐπινωμᾶν* latine est *oculis accedere ad corpora* ut figurate tantum *circumspiciendi* significationem habeat. Verbi autem intransitivam significationem simplex iam exhibet *νωμᾶν* Soph. frag. inc. XXIII, 11. (678 D.) *νωμᾷ δ᾿ ἐν οἰωνοῖσι τοὐκείνης πτερόν* v. Anth. IX. 339. *κόραξ — ἔν ποτε παμφαίνοντι μελάμπτερος αἰθέρα νωμῶν*. (Cf. Lobeck. ad Ai. 604. Ellendt. s. *ἐπινωμᾶν*. Schwenck. in Zimm. ann. phil. a. 1839. p. 1020.) Praeterea Sophocli *προσάπτειν* bis dictum est intransitive, proprie semel: Frag. Acris. XII, 2. (62. D.) *κἀμοὶ — Δωτιεὺς ἀνὴρ ἀγχοῦ προσῆψεν ἐλαφρὸς ἐν δισκήματι*, itemque semel translate O. R. 667 ch. *καὶ τάδ᾿ εἰ κακοῖς κακὰ προσάψει τοῖς πάλαι τὰ πρὸς σφῷν*. (Cf. Ellendt. s. v.) Sic saepius neutrali significatione invenitur *συνάπτειν* El. 21. *ξυνάπτετον λόγοισιν*. v. Eur. Phoen. 702. *εἰς λόγους ξυνῆψα Πολυνείκει*. Aesch. Pers. 886. *Τήνῳ τε συνάπτους᾿ ἄνδρος ἀγχιγείτων*. Eodem modo bis reperitur *κυκλεῖν* apud Sophoclem: El. 1365. *πολλαὶ κυκλοῦσι νύκτες ἡμέραι τ᾿ ἴσαι*. Trach. 130. ch. *ἐπὶ πῆμα καὶ χαρὰ πᾶσι κυκλοῦσιν οἷον ἄρκτου στροφάδες κέλευθοι* (Cf. Herm. l. c.) v. Plut. Cat. min. 67. Mor. p. 433. F. Ita etiam intransitivo significatu dictum est *στρέφειν* Frag. inc. XC. 2. (771. D.) *πᾶς προσκυνεῖ στρέφοντα κύκλον ἡλίου*. Jam quin intransitive usurpatum sit *ἐμμίγνυμι* O. C. 1057 ch. *οἶμαι — Θησέα — ταχ᾿ ἐμμίξειν βοᾷ*, quamquam Hermannus refragatur, qui vocem qualem *βίαν, μάχαν* supplet, composita cognata dubitare non sinunt. Sic extat *ἐπιμίγνυμι* apud Thucyd. I, 2, 1. I, 13. 3. v. Krueger. Xen. An. III, 5, 16. Heliod. V, 33. itemque *προσμίγνυμι* cum saepius apud alios v. Hdt. V, 64. VI, 112. Thuc. IV, 33. VII, 39. Xen. Cyr. V, 4, 46.; tum apud Sopho-

clem ipsum legitur Phil. 106. *οὐκ ἄρ᾽ ἐκείνῳ γ᾽ οὐδὲ προσμίξαι θρασύ;* Num vero ille dixerit *συνέμιξε τῷ κινάδει* frag. inc. CV. 110, 2. valde dubitari licet. (Cf. Ellendt. s. *κίναδος*.) Praeterea alia eadem ratione dicta sunt velut *κρύπτειν* El. 826. ch. *ποῦ — κεραυνοὶ Διὸς — κρύπτουσιν ἕκηλοι;* idem verbum cum accusativo personae iunctum est Hom. hym. XXVI, 7. Quin etiam praesens verbi *κεύθεν* neutrali significatione usurpatur: Ai. 635. ch. *Ἅιδᾳ κεύθων.* O. R. 968. *ὁ δὲ θανὼν κεύθει κάτω δὴ γῆς.* v. Hom. hym. Cer. 452. Neque aliter explicandum est *ἐκφέρειν* O. C. 1424. *ὁρᾷς τὰ τοῦδε — ὡς ἐς ὀρθὸν ἐκφέρει μαντεύματα.* Trach. 824. ch. *ὁπότε τελεόμηνος ἐκφέροι δωδέκατος ἄροτος.* Sic propria significatione dictum est idem verbum Il. XXIII. 376, 758; hinc proxime abest insolentior usus quem simplex *φέρειν* exhibet, propria significatione El. 725. *ἔπειτα δ᾽ Αἰνιᾶνος ἀνδρὸς ἄστομοι πῶλοι βίᾳ φέρουσιν.* v. Eur. Hipp. 1224; translata vero O. C. 1694. ch. *τὸ φέρον ἐκ θεοῦ* (Cf. Ellendt. II. p. 901, 6.) unde etiam explicationem quandam adipisci videtur locus Ai. 801. (Cf. Lobeck. l. c.) Deinde *τελεῖν* neutrali significatu positum est El. 1419. ch. *τελοῦσ᾽ ἀραὶ* Trach. 825. ch. *ἔλακεν — ἀναδοχὰν τελεῖν πόνων.* v. Aesch. Sept. 659. *τάχ᾽ εἰσόμεσθα — ὅπη τελεῖ.* Pers. 225. *εὖ δὲ — τελεῖν σοι τῶνδε κρίνομεν πέρι.* Choeph. 1021. *οὐ γὰρ οἶδ᾽ ὅπη τελεῖ.* His denique adiiciam solitarium illud O. R. 709. *οὕνεκ᾽ ἐστί σοι βρότειον οὐδὲν μαντικῆς ἔχον τέχνης,* ubi participium *ἔχον* ea notione quae in *μετέχον* sive in *ἀπηρτημένον* inest magis intransitive quam active dictum videtur, (Cf. Ellendt. I. p. 732).

Inter intransitiva autem verba quae transitive usurpantur prae caeteris insolentia excellit *ἀΐσσειν* quod semel legitur Ai. 40 *καὶ πρὸς τί δυσλόγιστον ὧδ᾽ ᾖξεν χέρα;* unde passive dictum est O. C. 1261 *κόμη δι᾽ αὔρας ἀκτένιστος ᾄσσεται,* cuius verbi significationem Lobeckius h. l. (Cf. Porson. ad Eur. Or. 1427.) doctissime exposuit et ab aliorum quae dissimillima sunt usu distinxit. Iam ex copiosissima eius annotatione, qua omnia quae ad hanc quaestionem pertinent, tractantur, elucet etiam praesens verbi *φθίνειν* active positum defendi posse (Cf. l. c. p. 90). Itaque etiam contra Valckenarii auctoritatem (Cf. Diatr. p. 6.) librorum scripturam servandam censeo El. 1414 ch. *νῦν σε μοῖρα καθαμερία φθίνει,* v. Theocrit. XXV. 122. *αἵ τ᾽ ἔργα καταφθίνουσι νομήων.* Porro alia audacius dicta accuratius inspicienda sunt. Sic deponens medium *εὔχομαι* passive dictum invenitur O. R. 1512.

— νῦν δὲ τοῦτ᾽ εὔχεσθέ μοι,
οὗ καιρὸς ἀεὶ ζῆν, βίου δὲ λῴονος
ὑμᾶς κυρῆσαι τοῦ φυτεύσαντος πατρός.

Hoc enim loco rectissime Hermannus, praeeunte iam Brunckio, teneri censet quod in minoribus scholiis traditur: *τὸ εὔχεσθε παθητικῶς κεῖται ἤτοι εὐχῆς τυγχάνετε ὑπ᾽ ἐμοῦ* (Cf. praeterea Herm. Ephem. antiq. litt. 1835. p. 771). Nam ex universo sententiarum nexu manifesto sequitur, Oedipum, quum iam a filiis quae admonitiones suas nondum intelligere possint discedat, iis potius quam sibi optare ut beatam semper vitam transigant et meliorem, quam ipse nactus sit pater, sortem sibi comparent. Quod ne cui insolentius dictum videatur aptissime Erfurdtius in comparationem vocavit illud Aesch. Choeph. 305. *εἰ δὲ μή,*

τάχ' εἴσεται i. e. *statim scietur.* v. Eur. Phoen. 266. *μάχην Ἄρης τάχ' εἴσεται φέρων.* Quin etiam apud Sophoclem alia reperiuntur quae non minus a vulgari consuetudine recedunt, velut *χρησθεὶς* pro *χρησάμενος* uno loco legitur Ant. 24. *σὺν δίκῃ χρησθεὶς δικαίᾳ καὶ νόμῳ.* (Cf. Boeckh. ad Ant. p. 218. Wunderl. observ. ad Aeschyl. p. 86. Buttm. Gr. Gr. §. 114. s. v.). Verbi autem passiva significatio cernitur in Hdt. VII. 144. *αἱ νῆες οὐκ ἐχρήσθησαν.* Deinde notabilis est locus Ant. 500.

— *ὡς ἐμοὶ τῶν σῶν λόγων*
ἀρεστὸν οὐδὲν, μηδ' ἀρεσθείη ποτέ·

ubi Elmsleius ad O. R. 322. scribi iubet *ἀρέστ' εἴη*, elegantius vero Hermannus ad Ant. l. c. *ἀρεστείην*; sed librorum scripturam summo iure recepit Boeckhius (Cf. ad Ant. p. 240.). Passive enim dictum est *ἀρέσκεσθαι* sensu *placere* ad significationem aoristi *ἀρέσαι* v. Il. XIX. 138. *ἄψ ἐθέλω ἀρέσαι* v. Il. IX. 120. Theogn. 762. *σπονδὰς θεοῖσιν ἀρεσσάμενοι*; denique passive etiam usurpatum est Hdt. VI. 128. *ἠρέσκοντο* i. e. *placebant* et *ἀρέσκεται τις* Hdt. I. 8. Ad hunc vero locum conferre liceat quod *λησόμενον* semel passive legitur El. 1248. *οὐδέποτε λησόμενον ἁμέτερον οἷον ἔφυ κακόν.* Recte enim scholiastes explicasse videtur *λήθης τυχεῖν μὴ δυνάμενον* (Cf. Matth. Gr. Gr. §. 495, e. p. 931).

His iam absolutis, cum quibus casibus Sophocles singula verba coniunxerit videamus, qua in re multa notanda sunt quae singulare aliquid habent. Itaque initium faciamus ab genitivo.

Ac primum notanda sunt ea quae cum praepositionibus *ἐν, εἰς, σὺν* composita sunt, velut *ἐμβαίνειν* O. C. 400.

ἐμβατεύειν O. R. 825. quae quidem verba alias aut cum accusativo aut cum dativo aut denique cum *εἰς* coniunguntur (Cf. Bernhardy. Synt. p. 213. Reisig. C. crit. in O. C. p. 247). Ad eandem constructionem accommodata videntur haec apud Sophoclem: *ἐγκλείω* Ai. 1274. *ἑρκέων ποθ' ὑμᾶς οὗτος ἐγκεκλεισμένους* (Cf. Lobeck. l. c. Ellendt. s. *ἐγκλῄω*) quae librorum scriptura ab omni mutatione optime defenditur et Sophoclis simillimo illo *γῆς εἰσδέχεσθαι* O. R. 238 et Euripidis *τόνδ' εἰσεδέξω τειχέων* Phoen. 451. (Cf. Abresch. Animm. T. I. 173). Insolentius vero *ἔνι* pro *ἔνεστι* dictum genitivum sibi addi patitur Phil. 648. *τί τοῦθ', ὃ μὴ νεώς γε τῆς ἐμῆς ἔνι;* Hermannus quidem ad Viger. p. 881. aliam praefert explicandi rationem ut ex praegresso *ἔνδοθεν λαβὼν* subaudiatur *λαβεῖν* »quid est hoc, quod ex mea navi sumi non possit.« Haec vero interpretatio, licet sermonis legibus optime respondeat, tamen quomodo praecedentibus *καίπερ οὐ πολλῶν ἄπο* melius conveniat, non video. Itaque scholiastae interpretationem: *τί ἔχεις ὅπερ ἐμὴ ναῦς οὐκ ἔχει· ἀντὶ τοῦ οὐδὲν ἡμῖν λείπει,* secutus, Bernhardyo Synt. p. 213 assentiar, qui in comparationem adhibet vexatum illud Ar. Plut. 886. *ἔνεστι συκοφάντου δήγματος.* Deinde alia huc quadrant verba quibuscum imprimis Sophocles genitivum coniunxit, velut *ἐντήκεσθαι* Frag. inc. XIII. 7. (678 D.) (Cf. Abresch. Animm. p. 205.) *ἐντυγχάνω* Phil. 1333. *καὶ τῶν παρ' ἡμῖν ἐντυχὼν Ἀσκληπιδῶν νόσου μαλαχθῇς τῆσδε*, ubi Hermanni interpretationem: *πρὶν ἂν μαλαχθῇς νόσου, ἐντυχὼν* (sc. *τοῦ μαλαχθῆναι*) *τῶν Ἀσκληπιαδῶν* i. e. *παρὰ τῶν*, nimis quaesitam et contortam esse satis apparet ex Hdt. IV. 140. *λελυμένης τῆς γεφύρης ἐντυχόντες* et fortasse Dio. Chrys.

Or. VII. p. 252. *προσεδόκων τῶν ἴσων ἐντυχεῖν.* Eodem modo usurpatum est *συντυγχάνω* O. C. 1482 ch. Phil. 320 (Cf. Brunck. ad Eur. Or. 1291.) deinde *συνάπτομαι* Frag. inc. LIII. 2. (710. D.) v. Aesch. Pers. 724 *γνώμης δέ πού τις δαιμόνων ξυνήψατο,* tum *προστυγχάνω* El. 1463. Phil. 552 (Cf. Wunder. Advers. p. 88.) v. Plat. ep. VII. p. 327. b. *ὧν ἐγὼ προσέτυχον νέων.* Similiterque constructum est *κατανύειν* El. 1451. *φίλης γὰρ προξένου κατήνυσαν,* ubi cum Brunckio ellipticam locutionem pro *κατήνυσαν τὴν ὁδὸν εἰς φίλης προξένου οἶκον* statuere nimis a verborum simplicitate abhorrere videtur. Sophocles potius hoc loco verbum *κατανύειν,* quod saepe tragici cum accusativo coniungunt ut significet *devenire aliquo, assequi aliquid,* suo more exquisitius ad analogiam verbi *τυγχάνειν* cum genitivo personae construxit (Cf. Ellendt. s. *κατανύω*). Haec si recte disputata sunt vel simplex fortasse *ἀνύειν* eodem modo cum genitivo dictum est O. C. 1755 an. *τίνος, ὦ παῖδες, χρείας ἀνύσαι;* nisi quis ex praecedente *προσπιτνόμενόν σοι* subaudiendum censet verbum *χρῄζειν* vel simile quid (Cf. Schneidw. l. c.). His proxime accedunt verba appropinquandi cum genitivo coniugata, velut *ἐμπελάζειν* Trach. 17. *προσπελάζειν* O. R. 1101 ch. deinde etiam simplex *πελάζειν* Ai. 710 ch. Phil. 1327. Phil. 1407 (Cf. Herm. l. c.) cuius quidem verbi eadem constructio est Hippocr. p. 603, 6. *ἐπὴν (γυνὴ) τόκου πελάζῃ,* Callim. H. Apoll. 88. *οἱ δ' οὔπω πηγῆς Κύρης ἐδύναντο πελάσσαι.*

Insolentius autem haec cum genitivo connexa sunt: *παραστείχειν* O. R. 808. *καί μ' ὁ πρέσβυς, ὡς ὁρᾷ ὄχου παραστείχοντα τηρήσας — καθίκετο,* ubi minime opus esse

videtur, ut Hermannus vult, genitivum *ὄχου* pendere ab *καθίκετο,* sed rectissime coniunxit Schneidewinius *παραστείχειν ὄχου,* nam simili modo dictum reperitur apud Nonn. Met. Ioan. c. 9. 1. *παραστείχων δὲ κελεύθου ἥμενον ἄνδρ' ἐνόησε.* Tum vero notandum est *ἀλύσκειν* quod ut *φεύγειν* (v. Phil. 1044. Eur. Med. 1300. Suppl. 148.) bis apud Sophoclem cum genitivo coniunctum est: Ant. 488. *οὐκ ἀλύξετον μόρου κακίστου,* et sensu paulo diverso El. 626. *θράσους τοῦδ' οὐκ ἀλύξεις.* (Cf. Boeckh. Expl. Pind. p. 310. Matth. Q. S. p. 52). Quodammodo huic cognatum est *σώζειν* Ant. 1162. *σώσας μὲν ἐχθρῶν τήνδε Καδμείαν χθόνα,* unde passive dictum est Eur. Or. 778 *μολόντα δ' ἐλπίς ἐστι σωθῆναι κακῶν,* itemque apud Sophoclem *μαλάσσειν* ut *κουφισθῆναι* Phil. 1334. *πρὶν ἂν νόσου μαλαχθῇς τῆσδε* (Cf. Herm. l. c.). Hoc loco adiungam unum exemplum ubi ex verbo *παρίημι* genitivus pendere videtur, quippe O. C. 1211 ch. *ὅστις τοῦ πλέονος μέρους χρῄζει, τοῦ μετρίου παρεὶς ζώειν,* sed hoc loco licet cum Doederlino ex praegresso *χρῄζει* ad *παρεὶς* repetere *χρῄζειν,* (Cf. Spec. ed. Soph. ad h. l.) nam Hermanni verborum constructionem *ὅστις τοῦ πλέονος μέρους χρῄζει, παρεὶς τοῦ μετρίου χρῄζων ζώειν* infra reiiciemus (Cf. Krueger. Gr. Gr. 61, 6. 8.); mihi quidem participium *παρεὶς* ut *ἀμελῶν, καταφρονῶν* cum genitivo connexum esse rectissime Schneidewinius l. c. analogia verborum *μεθίεσθαι ἀφίεσθαι, προΐεσθαι* confirmasse videtur (Cf. Ellendt. II. p. 511). Iam alia sequuntur verba quae, quum quandam comparativi notionem contineant, genitivum apud Sophoclem adsciscunt. Eiusmodi sunt: *περᾶν* O. R. 673. *ὅταν θυμοῦ περάσῃς* (Cf. Herm. l. c.) *ἀνέχειν* O. R. 174 ch.

οὔτε τόκοισιν ἰηΐων καμάτων ἀνέχουσι γυναῖκες, ubi Hermannus recte interpretatus est »non emergunt de partuum doloribus« i. e. *aut moriuntur in partu aut omnino steriles manent* (Cf. Ellendt. I. p. 152. Schneidw. l. c.). Denique in hunc numerum refero vexatum locum O. C. 1081 ch. ubi librorum scriptura *κύρσαιμ', αὐτῶν δ' ἀγώνων θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα* Dindorfii et Hermanni coniecturis unitis sic fortasse emendanda et interpungenda est:

εἴθ' ἀελλαία ταχύῤῥωστος πελειὰς
αἰθερίας νεφέλας κύρσαιμι· τῶν δ' ἀγώνων
ἐωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα.

Hac enim ratione cum duorum genitivorum concursum, qui prostat in Dindorfii emendatione *νεφέλας κύρσαιμι τῶνδ' ἀγώνων,* tum recepto *ἐωρήσασα* etiam Hermanni sententiam non satis probabilem, *θεωρεῖν* active vel potius factitive usurpatum esse, vitamus. Postremo autem *ἐωρήσασα,* sicut quae antea attuli verba, hic ad sensum cum genitivo constructum esse nemo mirabitur. De reliquis doctorum virorum coniecturis bene disputavit Ellendtius s. *θεωρεῖν.*

Verum etiam verba affectuum Sophocles insolentius cum genitivo usurpavit. Sic *κλαίειν τινός* El. 1117. tum *ἥδομαί τινος* Phil. 715 ch. (Cf. Bernhardy. Synt. p. 168.) denique simplex *γελᾶν τινός* Phil. 1125 m. Ab his non nimis differt *δεῖσαί τινος* O. R. 233. *καί τις ἢ φίλου δείσας ἀπώσει τοὔπος ἢ χαὐτοῦ τόδε.* Iam eadem genitivi structura saepissime conspicitur in verbis quae aut sensus aut mentis actionem significant. Sic apud Sophoclem luculenta genitivi exempla inveniuntur in verbis dicendi, quippe: Ai. 1236. *ποίου κέκραγας ἀνδρὸς ὧδ' ὑπέρφρονα* Phil. 439. *ἀναξίου μὲν φωτὸς ἐξερήσομαι.* Simillima extant

Phil. 441. Trach. 1122. 928. O. C. 661. El. 317. Hinc vero duo loci, qui insolentius participii genitivum exhibent, explicationem mihi adipisci videntur: Ai. 281. *ὡς ὧδ' ἐχόντων τῶνδ' ἐπίστασθαί σε χρή* (Cf. Lobeck. l. c.) Trach. 394. *δίδαξον, ὡς ἕρποντος εἰσορᾷς ἐμοῦ,* ubi Hermanni explicationi *ὡς, ἕρποντος ἐμοῦ, εἰσορᾷς τοῦτο, ἕρποντά με* suffragari nequimus. Rectissime enim nobis Seidlerus, cuius sententiam ipse Hermannus l. c. commemorat, iudicasse videtur et exemplis confirmasse *εἰσορᾶν* ut *ὁρᾶν* aliquando cum genitivo positum esse (Cf. Bernhardy. Synt. p. 151). Deinde participium tamquam nomen cum genitivo constructum hoc suppetit: Ai. 360. m. *σέ — δέδορκα ποιμένων ἐπαρκέσοντ',* quem difficillimum locum Lobeckius doctissime explicuit ut rem iam confectam censeam. Itaque eiusmodi aliud exemplum addere liceat O. C. 436. *οὐδεὶς ἔρωτος τοῦδ' ἐφαίνετ' ὠφελῶν* (Cf. Ellendt. s. *ὠφελεῖν*). Denique ad eandem fortasse rationem accommodatum est participium *πρέπον* quod semel cum genitivo compositum legitur Ai. 534. *πρέπον γε τἂν ἦν δαίμονος τοῦ 'μοῦ τόδε,* reliqua enim exempla, quae in comparationem vocata sunt, recte refutavit Lobeckius ad Ai. l. c.

Eius autem usus, omnibus tragicis frequentissimi ut passivae verborum formae cum genitivo omissa praepositione *ὑπὸ* coniungantur, exempla afferre supersedeo.

Postremo loco addam singularem illam constructionem, quamquam proprie huc non pertinet, in qua duo genitivi, quorum alter plerumque activam habet significationem alter passivam, ex uno nomine pendent. Huius enim structurae non ita rara sunt exempla apud Sophoclem, quippe: Ai. 619. *τὰ πρὶν δ' ἔργα χεροῖν μεγίστας ἀρετᾶς.* v. 872. *ἡμῶν γε*

ναὸς κοινόπλουν ὁμιλίαν. El. 1222. *τήνδε προσβλέψασά μου σφραγῖδα πατρὸς.* O. C. 729. *ὁρῶ τιν' ὑμᾶς ὀμμάτων εἰληφότας φόβον νεωρῆ τῆς ἐμῆς ἐπεισόδου.* Huc denique pertinet, quamquam alio modo a Lobeckio explicatur, Ai. 53. *ξύμμικτα λείας ἄδαστα βουκόλων φρουρήματα,* nam, ut Schneidewinius vult, *λείας ἄδαστα* coniungere ut *ἄδαστα* substantivi vice fungatur propter praecedens *ξύμμικτα* mihi non probatur, quod tum ipsum quoque contra sermonis graeci usum ad substantivum *ἄδαστα* referendum esset. Rarius autem uterque genitivus activam exhibet significationem velut Trach. 57. *εἰ πατρὸς νέμοι τιν' ὥραν τοῦ καλῶς πράσσειν δοκεῖν,* nam quum dici posset *νέμοι ὥραν τοῦ πατρὸς* nec vero minus *νέμοι ὥραν τοῦ καλῶς πράσσειν,* utramque locutionem conflavit poeta (Cf. Bernhardy. Synt. p. 162. ann. Matth. Gr. Gr. §. 380. ann. 1).

Neque vero minus apud Sophoclem extant verba quae audacius cum dativo coniuncta sunt. Ita, quod perrarum est, cum dativo positum invenitur *χρὴ* Ant. 736. *ἄλλῳ γὰρ ἢ 'μοὶ χρή γε τῆσδ' ἄρχειν χθονός.* (Cf. Herm. l. c.) recte Elmsl. ad Eur. Med. 1334. not. *f.* affert Eur. Ion. 1317 *τοῖσι δ' ἐνδίκοις ἱερὰ καθίζειν, ὅστις ἠδικεῖτ', ἐχρῆν.* (Cf. Valck. epist. p. 186. Tittm. Bernhardy. Synt. p. 91. Ellendt. s. *χρή*). Tum alia notanda sunt quae insolentius atque exquisitius dicta videntur. Eiusmodi prostat medium *προσπτύσσεσθαι* dativo iunctum Ant. 1237. et Trach. 767. Sic etiam Lucian. dial. mort. XX. 2. *ἀλλὰ προσπτύξομαί γε πάντως ἀνδρογύνῳ ὄντι.* Itemque *καθυβρίζειν τινί* Ai. 153 an. *χαίρει — τοῖς σοῖς ἄχεσιν καθυβρίζων,* quo loco dativum *τοῖς σοῖς ἄχεσιν* a participio *καθυβρίζων* aptum esse, satis docent exempla a Lobeckio ad h. l allata (Matth.

Gr. Gr. §. 402. c. p. 736.). Porro a vulgari usu recedit structura *ὠφελεῖν τινι* Aut. 560. (Cf. Eust. p. 725. 55.) quae quidem alias quoque saepius invenitur v. Aesch. Pers. 842. Eur. Or. 666. 681. Ar. Av. 420.

Restat denique ut de insolenti verborum cum accusativo compositorum usu ac ratione pauca disseram.

Sic *ἐξίστημί τινα,* quod significat *alicuius congressum vitare*, legitur Ai. 82. ubi Lobeckius alia eiusdem structurae exempla affert. Tum *ἐμπίπτειν τινά* insolentius positum est O. C. 942. *ὅτι οὐδεὶς ποτ' αὐτοὺς τῶν ἐμῶν ἂν ἐμπέσοι ζῆλος ξυναίμων.* (Cf. Herm. et Schneidw. l. c.) Elmsleius comparat Eur. Iph. A. 808. *οὕτω δεινὸς ἐμπέπτωκ' ἔρως — Ἑλλάδ', οὐκ α. θ.* in hoc tamen exemplo, etsi ipsam scripturam dubiam esse negligimus, dativus an accusativus positus sit ab ea quaestione nondum diiudicata pendet, num Graecis *ι* dativi singularis elidere licuerit (Cf. Herm. l. c. (815.) Lobeck. ad Ai. 801. p. 350 Schneider. de trag. dialect. p. 37. Kuehlstaedt. Observ. crit. p. 24). Praeterea accusativus verbo *προσκυρεῖν* adiungitur O. R. 1299 an. Deinde cum accusativo personae dictum est *πελάζειν* Phil. 1163 ch. *πρὸς θεῶν, — πέλασσον — πελάταν,* hoc enim loco scholiastes, quem sequitur Ellendtius s. *πελάζω.* non satis recte explicuit quod sequitur *πελάταν* a praegressis verbis *εἴ τι σέβει ξένον* pendere. Sed potius *πέλασσον* cum accusativo *πελάταν* iungendum esse bene docuit G. Wolffius de Schol. Laurent. p. 155. Nam *πελάζειν* appropinquandi sensu, ut non raro verba motus cum accusativo saepius compositum est, velut O. C. 1060 ch. *ἤ που τὸν ἐφέσπερον πέτρας νιφάδος πελῶσ'* (Cf. Ellendt. s. *πελάω*). v. Eur. Androm. 1167.

ὅδ᾽ ἄναξ — δῶμα πελάζει Rhes. 13. *τίνες — τὰς ἁμετέρας κοίτας πλάθουσ᾽*. Itaque vehementer dubito notissimo loco Phil. 1149. ch. *φυγᾷ μ᾽ οὐκέτ᾽ ἀπ᾽ αὐλίων πελᾶτ᾽*, utrum Hermanni interpretationi „non amplius fuga vestra me ab antro meo ad vos adducetis" an potius scholiastae assentiar, qui sic verba intelligit *ἀντὶ τοῦ, οὐκέτι φεύξεσθέ με, οὐκέτι μετὰ φυγῆς καὶ φόβου προσπελάζετέ μοι.* Haec enim interpretatio ad universam loci sententiam magis accommodata est, dativum *φυγᾷ* autem ita poni posse Wunderus l. c. exemplis demonstravit, qui praeterea monet numquam alibi Sophoclem pluralem *αὔλια* usurpare ubi antrum Philoctetae significaturus sit (v. 19. 954. 1087 m.). Similia verba cum accusativo insolenter iuncta haec sunt: *ἀντᾶν* Ant. 981. ch. *ἃ δὲ σπέρμα μὲν ἀρχαιογόνων ἄντασ᾽ Ἐρεχθειδᾶν,* (Cf. Ellendt. s. *ἀντᾶν*) v. Il. I, 31. *ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν.* Eur. Iph. A. 150. *ἤν γάρ νιν πομπαῖς ἀντήσῃς,* (Cf. Lobeck. ad Ai. 801. p. 351). Similiterque *ψαύειν* translata quidem significatione accusativum adsciscit Ant. 961 ch. *ψαύων τὸν θεὸν* quo loco scholiastes quidem coniunxit *ἐπέγνω τὸν θεὸν,* rectius vero Eustathius p. 219, 36. 725, 56 ut insolentius dictum affert *ψαύων τὸν θεὸν,* eademque ratione extat Ant. 857 ch. *ἔψαυσας ἀλγεινοτάτας ἐμοὶ μερίμνας, πατρὸς τριπόλιστον οἶκτον,* (Cf. Ellendt. s. *ψαύω.*) quibuscum fortasse comparari potest Ant. 546. *μηδ᾽ ἃ μὴ ᾿θιγες ποιοῦ σεαυτῆς,* licet hoc loco accusativus non minus *ἀπὸ κοινοῦ* referendus sit ad *ποιοῦ σεαυτῆς* quam ad *ἔθιγες.* His proxime abest *μετέχειν* cum nudo accusativo rei coniunctum O. C. 1484 ch. *ἀκερδῆ χάριν μετάσχοιμί πως.* v. Ar. Plut. 1144. *οὐ γὰρ μετεῖχες τὰς ἴσας πληγας*

ἐμοί. (Cf. Bernhardy. Synt. p. 149. Matth. Gr. Gr. §. 325. ann. 2.) Deinde singulari modo *ἐπισκήπτειν* cum quarto casu personae usurpatum est Trach. 1221. *τοσοῦτον δή σ᾽ ἐπισκήπτω,* quod Brunckius ad Phil. 772. firmavit exemplo Eur. Iph. T. 701 *πρὸς δεξιᾶς σε τῆσδ᾽ ἐπισκήπτω τάδε.* v. Dion. H. ant. X. 11. *ἐπισκήπτειν θεοὺς καὶ δαίμονας* (Cf. Ellendt. s. *ἐπισκήπτειν.*) Tum notabilis est locus O. R. 904 ch. *Ζεῦ, πάντ᾽ ἀνάσσων,* ubi quod verbum *ἀνάσσειν* ut *κρατεῖν* cum accusativo compositum est, excusationem habet potissimum ab adverbiascente neutro *πάντα.* Selectius autem dictum est *ἐπιμέμφεσθαί τινα.* Trach. 122. ch. *ὧν ἐπιμεμφομένα σε* quocum apte contulit Matth. Gr. Gr. §. 384, 1. *καταμέμφεσθαι* Thuc. VII, 77, 1. *μηδὲ καταμέμφεσθαι ὑμᾶς ἄγαν αὐτοὺς,* eodem modo *προΐστημι* Frag. Tyr. VIII, 1. (580. D.) *προστῆναι μέσην τράπεζαν* et sensu plane diverso El. 1377. *ἥ σε πολλὰ δὴ — λιπαρεῖ προὔστην χερὶ* (Cf. Ellendt. II. p. 640.) neque minus denique exquisite cum duplici accusativo legitur *ἀποσπᾶν τινά τι* O. C. 866. Jam vero non praetermittendae sunt eae locutiones in quibus verbum substantivo iunctum pro simplici verbo accusativum adsciscit. Sic *ἔχειν* circumlocutioni inservit in formulis velut *παρουσίαν ἔχειν* i. e. *παρεῖναι* Ai. 540. *μολπὰν ἔχειν* i. e. *μέλπεσθαι* Phil. 213. ch. *θήραν ἔχειν* i. e. *θηρεύειν* Phil. 840 ch. (Cf. Ellendt. I. p. 732). Neque minus eadem ratione alia verba adhibita sunt velut *γίγνεσθαι* (Cf. Ellendt. I. p. 367.) *ποιεῖσθαι* (Ellendt. II. p. 588.) *τίθεσθαι* (Ellendt. II. p. 813.) alia (Cf. El. 556. O. C. 1120. 223. 583. Trach. 50.) quae omnia afferre longum est, quum potissimum hic usus apud Aeschylum et Pindarum

latius patere vel saltem frequentius reperiri videatur. Nonnullas tamen afferam et quidem Sophocli potissimum proprias ex his formulis in quibus duplex accusativus cum uno verbo coniungitur, velut Ai. 191 ch. *μή μ' ἄναξ — κακὰν φάτιν ἄρῃ* ubi *μ'* accusativus est, nam post Lobeckii disputationem l. c. satis constare videtur *μοί* ante brevem vocalem apud tragicos elidi non posse. (Cf. Kuehlstaedt. Observ. crit. p. 26.). Hoc vero loco cum Hermanno duarum locutionum confusionem agnoscere nequaquam opus est, nam mihi potius *κακὰν φάτιν αἴρεσθαί τινα* prorsus ut *λωβᾶσθαί τινα λώβην* dictum videtur, quod simili ratione extat Trach. 997 ch. *οἵαν μ' ἄρ' ἔθου λώβαν* i. e. *ἐλωβήσω.* Insolentius autem est quod legimus El. 123 ch. *τὸν ἀεὶ τάκεις ὧδ' ἀκόρεστον οἰμωγὰν — Ἀγαμέμνονα,* ubi *τήκειν οἰμωγὰν,* quod etiam per se audacius dictum est, significatione *clamores liquefacere,* cum accusativo personae compositum sensum exhibet *ἀκορέστως οἰμώζεις Ἀγαμέμνονα.* (Cf. Ellendt. s. *τήκειν*). Itaque illo loco O. C. 1007. *εἴ τις γῆ θεοὺς ἐπίσταται τιμὰς σεβίζειν,* licet lenissima sit Turnebi coniectura *τιμαῖς*, tamen emendandi iustam causam omnino nullam esse iudico quum *τιμὰς σεβίζειν τινά* paulo insolentius ut *ἐυσεβῶς τιμᾶν τινα* dictum esse videatur.

Porro quum figura ea, quam etymologicam vocant, Graeci accusativum obiecti cum omnibus verbis intransitivis coniungerent, inde profecti poetae potissimum etiam alio modo intransitivis verbis accusativum obiecti adiicerunt. Hoc in numero sunt *τύχην θανεῖν* Ai. 1058. *φύσιν βλάστειν* Ai. 760. *κάμνειν λύπην* El. 532. *πομπεύω τέχνην* Trach. 620; liberius vero formatum est illud O. R. 422. *τὸν ὑμέναιον, ὃν δόμοις*

ἄνορμον εἰσέπλευσας (Cf. Bernhardy. Synt. p. 108.) neque minus insolenter Ai. 435 *τὰ πρῶτα καλλιστεῖ' ἀριστεύσας στρατοῦ* (Cf. Lobeck. l. c. Ellendt. s. *ἀριστεύειν*). Denique bis verbum neutrale cum duplici casu construxit Sophocles: Ai. 42. *τί ποίμναις τήνδ' ἐπεμπίπτει βάσιν.* Trach. 339. *τοῦ με τήνδ' ἐφίστασαι βάσιν,* quae quidem omnia congessit et illustravit Lobeckius monogr. fig. grammat. p. 14. v. Paralip. Gr. gr. p. 527.

Jam his absolutis locum adiiciam vexatissimum O. C. 658. *πολλαὶ δ' ἀπειλαὶ πολλὰ δὴ μάτην ἔπη θυμῷ κατηπείλησαν,* quum enim poeta vanas esse minas maxime urgere vellet, *ἀπειλαὶ,* quod si sententiam spectas obiectum esse debebat, subiectum enunciati reddidit, ipsasque *minas minari* dixit. (Cf. Herm. l. c.).

VITA.

Ego Ludovicus Franciscus Struve natus sum Halberstadii d. 11 Novembris a. 1831 patre Friderico qui praedii proventu victum capit, matre Christiana e gente Michelmann, quam praematura morte mihi ereptam esse maxime doleo quum patre adhuc superstite gaudeo. Primis litterarum elementis in schola civica, tunc directore Siderero, imbutus sum. Hinc anno 1846 gymnasium Stephaneum Halberstadiense quod Schmidio directore floret, adii; ibi quum per quatuor annos versarer inter praeceptores maxime Conradus Hense, quem humaniorem an doctiorem dicam nescio, snmmam in me exhibuit et amicitiam et benevolentiam ut semper ei gratam mentem servaturus sim. Deinde maturitatis testimonio instructus anno 1850 universitatem Tubingensem adii ibique in album ordinis philosophici inscriptus sum. Lectiones autem audivi V. Ill.

Vischer, Schwegler, Teuffel, Peschier. Uno anno post almam hanc universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem petii, cuius civibus a Twestenio V. Ill. tunc rectore Magnifico, adscriptus sum. Scholis autem interfui per quinque semestria V. Ill. Boeckh, Gerhard, Meineke, Franz, Panofka, Curtius, Hertz, Bopp, Weber, Trendelenburg, Gabler, Werder, Michelet, Ranke, Ritter.

Omnibus his viris et doctrina et animi humanitate excellentissimis, quibus debeo si quam mihi philologiae et philosophiae cognitionem paravi, gratias ago maximas.

THESES.

I. Nisi philosophiae scientia imbutum neminem bene praeparatum ad philologiae studium accedere posse.

II. Recentissimi Sophoclis editores suas coniecturas in verborum continuitatem inseruerunt multis locis, qui omni mendo vacant dummodo recte explicentur.

III. Soph. Ai. 771. omnes interpretes parum recte explicuerunt verba:

> *δίας Ἀθάνας, ἡνίκ᾽ ὀτρύνουσά νιν*
> *ηὐδᾶτ᾽ ἐπ᾽ ἐχθροῖς . . . .*

IV. Tacit. An. I. 4. scriptura »exsulem egerit« sana est.

V. In Cic. Brut. c. 2, 7. »Quodsi fuit in re publica tempus ullum, cum extorquere arma posset etc.« particula negativa intercidit.

VI. Shakspear. Midsumner-Night's Dream Act. II. 1. verba »on old Hyems' chin, and icy crown,« dummodo recte intelligantur, non egent emendatione.

VII. Errant qui in quinque illis orationibus, quae in Plat. Symp. Socrateam praecedunt, certum quendam progressum inesse statuunt.